



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Ferrariensi Episcopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

## 4 Epistolarum Innocentij III.

non poterimus, sicut nec debemus, sub dissimulatione transire. Huic autem studio tanto diligentius debes infistere, & intentione omnimoda imminere, quanto creatori amplius tua in hac parte sollicitudo placebit, & gloriofius etiam tibi erit, si per tuam instantiam fuerit Domino faciente completum quod non potuit per aliquorum prudentiam seu diligentiam haec tenus adimpleri. Datum Laterani.

### STRIGONIEN. ARCHIEPISC.

Epist. 5.  
De dilatione  
voti sui pro ne-  
gocio regni  
Vngariae.

**N**on est dicendus voti transgreditor, qui, quod vovit, de auctoritate sedis apost. justa tamen ex causa distulerit adimplere. Sanè significavit nobis cariss. in Christo filius noster Henricus Vngariae Rex illustris, quod cùm in regni turbatione consilium & auxilium tuum sibi fenserit haec tenus profuisse, utilitati ejus non modicùm derogaret, si Hierosolymam (sicut ex voto teneris) regno pergeres impacato. Cùm igitur nobis immineat de honore ipsius Regis & statu regni Vngariae solicite cogitare, fraternitati tuae per apost. scripta mandamus, quatenus non prius iter arripias Hierusalem adeundi, quam regnum ipsum fuerit tranquillitati pristinæ faciente Domino restitutum, vel super hoc receperis ab apost. sede mandatum. Datum Laterani.

### EIDEM.

Epist. 6.  
De reforma-  
tione monaste-  
rij de Telequi.

**C**irca reformationem monasteriorum & augmentum eorum tanto potius tenemur esse solliciti, & ipsorum gravaminibus præcavere, quanto ad nos specialius pertinet & plantare religionem in Dei Ecclesiis, & fovere plantam. Verum ad audientiam nostram novis pervenisse quod monasterium de Telequi ad tantam dissolutionem ordinis & temporalium rerum exinanitionem per Praelatorum est incuriam devolutum, ut nec statutus in eo regularis ordo servetur, nec fratres ibidem ad Dei servitium deputati, congruè possint de ipsius redditibus sustentari. Volentes igitur ut idem monasterium in statum pristinum tuo studio reformatum, illud sollicitudini tuae, quandiu nobis & successoribus placuerit, duximus committendum; per apostolica tibi scripta

mandantes, quatenus taliter ipsius reparacioni studeas imminere, ut divini nominis cultus in eo de die in diem potius augeatur, & fratrum necessitatibus vita necessaria congruè ministrentur. Datum Laterani.

### ABBATI SANCTI MARTINI.

**E**X literis quas carissimus in Christo filius noster Henricus Vngariae Rex illustris ad sedem apostolicam definavit, nobis innotuit quod contra se renitatem regiam cum nobili viro A. Duce fratre ipsius temere conspirasti, cui etiam adhuc diceris inhærere. Cùm igitur felicis memoriae Celestinus Papa prædecessor noster sub pœna excommunicationis universis in Vngaria constitutis curaverit inhibere, ne dicto Ducis contra salutem regiam consilium darent aliquid, vel juvamen; nos tibi, quem publica fama contra ipsius prædecessoris nostri prohibitionem (sicut dicitur) venisse demonstrat, salutationis allocuimus denegantes, ad nostram duximus præsentiam evocandum; per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus usque ad festum exaltationis sanctæ crucis proximè venturum nostro te conspectui repræsentes, ad objecta sufficienter & rationabiliter responsurus. Datum Laterani.

### FERRARIENSI EPISCOPO.

Epist. 7.  
De confirma-  
tione facta co-  
tra Henricum  
Regem Vnga-  
riae.

**C**um Ecclesiæ per orbem usquequam diffusa ab apostolica sede tanquam à suo capite magisterium recipiant & doctrinam, & stabilitatis debitæ munimine roborentur, expedit nobis, qui ad ipsius regimen sumus, licet insufficietes, Domino disponente vocati, ut sic ad universas Ecclesiæ nostræ considerationis aciem extendamus, earumque commodis & profectibus imminere curremus, quod illo auxiliante qui est omnium bonorum largitor, debitus illarum status per aliquorum insolentiam perturbari non possit, nec contrariis casibus subjacere, sed tam temporalibus quam spiritualibus semper proficiant institutis. Audientes sanè, sicut tuarum nobis tenor aperuit literarum, studium & diligentiam, quam circa relevationem Nonantulanensis monasterij, quod multorum afferitur debitorum onere præ-

Epist. 8.  
De observa-  
tione confirma-  
tionum factarum  
ab ipso in mo-  
nasterio de  
Nonantula,

# Romani Pontificis Lib. I.

5

gravatum, & tam in temporalibus quam in spiritualibus non modicum immunitum, impendere procurasti, multa fui- mus exultatione repleti; solicitudinem tuam magnis in Domino laudibus commendantes, quam & ipsius Abbatis nuncius in praesentia dilectorum filiorum P. tituli sanctae Ceciliae Presbyteri & G. sanctorum Cosmae & Damiani Diaconi Cardinalium, quos ei concessimus auditores, laudabiliter commendabat; asserens tamen quod idem Abbas contra ordinationem tuam in nullo venerat, aut venire volebat. Nos igitur ratum habentes & firmum quod circa quasi desperatam curationem supradiicti monasterij a te laudabiliter statutum esse dignoscitur, praesentium tibi auctoritate mandamus, quatenus constitutionem in eodem monasterio per tuam prudentiam factam irrefragabiliter facias observari, contradictores, sicut expedire videris, ecclesiastica censura compescens. Verum quia praefatum monasterium de negligentia & gravi culpa praesidentis Abbatis ad horribilem diminutionem & inopiam affterit devolutum, ut omnis occasio scandalorum tollatur de medio, & locus ille recepto peroptato reformationis solatio valeat aliquando respirare, volumus atque mandamus ut si predictus Abbas, sicut tuis literis intimasti, ordinationem tuam impedivit aliquatenus, vel turbavit, praelertim cum manifeste sit de dilapidatione suspectus ac etiam infamatus, eum usque ad personationem debiti a monasterio ipso locilater & ab ipsius administratione amoveas, & in cella qua est Padua, facias in necessitatibus provideri. Quod utique si ipse adimplere forte contempserit, eum ad id omni contradictione, appellacione, & excusatione cessante, per censuram ecclesiasticam auctoritate nostra compellas. Dextrariis autem, & aliis equis, quos idem Abbas habere dignoscitur, in manibus tuis receptis, & venalitati suppositis, ut de illorum precio pars debiti, prout expedit, persolvatur. Præterea noveris ad nostram audientiam pervenisse quod postquam N. monachus praesentium lator ad Romanam Ecclesiam iter arripuit veniendi, prætaxatus Abbas in contemptum apostolica sedis & nostrum, eum officio beneficio que pro sua voluntate suspendit, & administratio ne, quam habebat in cella qua est apud

Ferrariam, eundem sua temeritate privavit. Quod utique grave admodum & molestum ferentes, fraternitati tuae per praesentia scripta mandamus, quatenus, si verum est quod afferitur, officium, & beneficium, necnon & administracionem, quam idem monachus prius noscitur habuisse, illi auctoritate nostra restituas, & facias pacifica possessione gaudere. In expensis etiam moderatis, quas veniendo ad Romanam Ecclesiam fecisse perpenditur, de bonis monasterij eidem facias provideri. Datum Laterani iij. Nonas Februarij.

## ILLVSTRI REGI VNGARIAE.

**E**am de serenitate regia fiduciam obtinemus, ut quæ a nobis postulat, justè posse credamus & honestè compleri. Eapropter carissime in Christo filii tuis precibus annuentes, monasterium illud, quod B. quondam Comes de Bichor ædificare incepit, & morte præventus consummare non potuit, in locum tutiorem & magis idoneum transferendi, si de assensi diocesani Episcopi fieri poterit, liberam tibi concedimus auctoritate apostolica facultatem. Nulli &c.

## NOBILI VIRO A. DVCI.

**L**icet universis liberum sit arbitrium in votando, nec necessitas in votis locum habeat, sed voluntas, usque adeo tamen solutio necessaria est post votum, ut sine propriæ salutis dispendio alicui resilire non liceat ab his quæ sponte ac solenniter repromisit. Accepimus siquidem quod cum inclitæ recordationis B. quondam Rex Vngarie pater tuus ageret in extremis, & de sua penitus convalescentia desperaret, votum quo voverat Domino Hierosolymitan. provinciam in forti manu & brachio extento, corde tamen humili, & humiliato spiritu, visitare, sub intermissione maledictionis paternæ commisit tuæ fidei exequendum, & tu intellecta pia voluntate parentis, assumptio crucis signaculo, te id impleturum fine dilatione qualibet promisisti. Verum eodem patre tuo sublato de medio, cum Hierosolymitanum inter te accipere simulasses, assumptæ peregrinationis oblitus, quam contra inimicos crucis dirige rebueras, in fratrem tuum & regnum

Epist. 9.  
De transferendo monasterio quod B. quondam Comes de Bichor ædificare incepit, ad loca tutiora,

Epist. 10.  
De prosecutio ne voti Regis Vngarie patris sui defuncti.

A iij